



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Ingeburgis Reginae Francorum epistola ad Cælestinum III. Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

atavis Regibus editæ lacrymosa suspiria, flebiles gemitus. Et qui tot & tantis pauperibus erogatis elemosynam, mendicanti post tantam gloriam Reginae pietatis vestrae viscera non claudatis. Excessit epistola modum. Sed increpabat brevitatem materia, & pietas accendebat stylum.

*Ingeburgis Reginae Francorum epistola ad
Celestinum III. Papam.*

Ann. 1196.
Vide Rigord,
ad ann. 1193,
& 1196.

INOPINATI doloris anxietas me compellit exordium vobis proponere dolorosum, in gemitu cordis vestro apostolatus mei gravamina flebiliter enarrare. Iam enim triennium est elapsum quod Rex Franciæ me in ætate nubili desponsavit & mihi, prout naturalis ordo requirit, debitum reddidit maritale. Postmodum verò instigatione diabolica & quorundam malitiosorum Principum persuasione seductus filiam Ducis S. superinduxit & retinet pro uxore; me verò in quodam castello incarcerari præcepit, ubi sic proscripta dego quòd ad cælum levare oculos non audeo neque possum. Nullam allegat præterea parentelam nullamve causam alicujus excessus pro quo ab illo debeam separari; sed facit de voluntate decretum, de pertinacia legem, & de voluptate furorem. Deleo quidem, & non tristari non possum, qui panem comedo cum dolore & potum cum lacrymis assiduè permiscere compellor, & non pro me tantum, sed etiam pro Rege, qui orthodoxæ fidei, Christianis & universis de regno suo exemplum tribuit malignandi. Proh dolor! spernere vestrae sanctitatis litteras non formidat, audire Cardinalium jussa recusat, Archiepiscoporum & Præfulum dicta contemnit, & admonitiones religiosorum quorumlibet aspernatur. Ego

autem quid dicam & quid faciam ex toto ignoro,
 quoniam innumerabilibus angustijs circumvenior.
 Vnde nisi vestra misericordia mihi misereri digne-
 tur, morti succumbam in proximo temporali.

AD Æ ABBATIS PERSENIÆ
 EPISTOLÆ QVINQVE

A D

OSMVNDVM MONACHVM
 MORTVIMARIS

in Normannia.

*I. Epistola prima Adæ venerabilis Abbatis
 Perseniæ ad Osmundum Mortuimaris mo-
 nachum de institutione novitiorum.*

DILECTO suo in Christo fratri Osmundo
 Mortuimaris monacho, frater Adam talis qua-
 lis Abbas Perseniæ, bene vivere & valere in Domi-
 no. Sollerter prudentis animi consideratio pensat ut
 quod postulati animum possit offendere, aut vires
 excedere, requirere non præsumat. Tædij nimirum
 mater est importunitas; quæ tanto onerosius peti-
 tioni suæ insistere non desistit quanto omne quod
 affectat, opportunius esse credit. Vnde, obsecro,
 unde hoc tibi ut majorem quàm sim me existimes,
 & ita tuo importunus factus es dilectori? Diligeris
 siquidem, sed non fortè ea mensura qua existimas:
 quia etsi fortassis dignus es diligi, non eam tamen
 amoris mensuram impendere possum homini quam

D d iij